

A.K. 135,18.


X2346529

Yd
4100

G E S T A
QVEDLINVRGI
SVB
SAXONIBVS AVGVSTIS
BREVITER EDISSEREBAT,
CVM AD
ACTVM ORATORIVM
DE
HENRICO AVCVPE
REVERENDISSIMAE SERENISSIMAEQUE PRIN-
CIPIS ET ABBATISSAE
MARIAE ELISABETAE
DIE NATALI,
XXI. MARTII, MDCCXXXII. AB HORA PRIMA
POST MERIDIEM
IN AVDITORIO MAIORI
HABENDVM
OBSERVANTER HVMANITERQUE
INVITARET
M. TOBIAS ECKHARDVS,
ILL. QVEDL. R.

QVEDLINVRGI,
TYPIS GODOFREDI HENRICI SCHWANII.
AVL. TYPOGR.

x



Uedlinburgensis ciuitas suam Henrico Aucipi debet originem, qui vt Ditmarus auctor est, a) *ex fundamento eam construxit*, siue Theseus ille Germaniae diuersis ex pagis coniunxerit, siue de nouo condiderit eam. Ipse Henricus *villam*, *pro priamque hereditarem*, b) Otto II. *castellum*, c) Albericus *Regis praedium*, d) *Chronicon Quedlinburgense metropolini*, e) Witechindus *locum celebrem*, f) Michael Boemus *veterem Ducum Saxoniae sedem appellat*. g) Certe ex eo tempore frequens fuit hospitium summorum Germaniae Principum, rerumque gestarum. Io. CONR. DETERICUS scribit: *quae vrbs Quedlinburgensis . . . postulat quodam iure sibi multa deberi Imperatorum comitia.* h) Verum si esset, quod scribit laudatus modo Deteri-

-
- a) Leibnit, Tom. I. p. 328.
 - b) Gundling de Henrico Aucip. p. 309. 313.
 - c) D. Kettner Dipl. 14.
 - d) ad an. 937.
 - e) Leibn, To. II. p. 382.
 - f) Meibom. To. II. p. 662.
 - g) Schurzfl. Diff. 29. p. 11.
 - h) Hist, August, Impp, Sax. in Ottone III. p. 36.



tericus, i) & ante eum Gassarus k) Conradum I. obiisse Quedlinburgi, commendasset hic Principibus regni praesentibus Henricum Aucupem, vt eum designarent successorem, quae sane rerum gestarum vel princeps esset. Atque haec etiam fuisse mens videtur illi Gundlingio. Nam pro argumento reconciliatae inter utrumque amicitiae habet, quod *Quedlinburgi Conradus ab hostium insidiis se tutum creditit.* Iterumque scribit, Henricum eo tempore Quedlinburgo abfuisse, cum Imperii insignia, gladius, diadema atque sceptrum, ei traderentur; neque enim opus fuisse Eberhardi profectione, si Dux eo in loco praesens fuisset. l) At alibi deteximus fontem erroris atque ostendimus, quod ciuitas *Wilinaburg*, in qua sepultum fuisse Conradum scribunt Witechindus atque Conradus, Vrspergensis Abbas, occasionem praebuerit eam transformandi in *Quitelingeburg*, quomodo Heruagius etiam edidit in Witechindo, obseruante *Illustr. LEIBNITIO.* m) Post pugnam enim cum Arnolpho in Baioaria reuertit Conradus in patriam suam, quae Franconia fuit, & longiori confectus infirmitate obiit. Mortuo Conrado frater Eberhardus, ut iussus erat, imperii insignia transtulit ad Henricum, Saxonie Ducem, qui aegrotanti Conrado non adfuerat, quod Conradus Vrspergensis, Albertus Stadensis & Albericus diserte testantur. In aucupio tum fuisse occupatum Henricum, indeque ei haesisse *Aucupis* no-men, Siffridus, Bodo aliique tradunt. n) Si hic *Quedlinburgi*, prima rerum gestarum haec erit. At Bruns-

A 2

vigam

i) Compend. Histor. p. 284.

k) Illustr. Menckenii Scriptor. rer. Germ. To. I. p. 1376.

l) de Henrico Aucup. p. 61. 72.

m) To. I. script. Brunsu. p. 223. Leuckfeld Antiq. Halberstad. p. 124. Conradus Vrspergensis p. 208 conf. Mischell. Lips. CXXI.

n) Dietericus in Henr. Aucup. p. 14. Gundling l. c. p. 24.

vigam alii, alii Stauffenbergam nominant. Veri autem simile est, locum hic ab aucupio dictum a singulari potius re gesta, quam iuuenili aues capiendi studio nomen seruasse; praesertim cum frequens hic fuerit. Sed mitimus dubia. Anno DCCCCXXII. Henricus Auceps monasterii Corbeiensis priuilegia rogatu Reginae fillique Henrici confirmat. o) Anno DCCCCXXIX. idem Henricus praesentibus Ottone filio episcopis regnique proceribus dotalitium Mathildae Reginae constituit, in quo Quedlinburgum primum tenet locum. p) Posteaquam dotis loco obtinuit Quedlinburgum Mathildis Regina, id egit, vt ornamenta ei conciliaret. Propositum atque constitutum cum esset Henrico, monasterium condere, ut sua suorumque memoria ibi perennaret, Principesque in consilium adhiberentur, quo loco conuenienter id fieret, Quedlinburgum hi nominarunt, sine dubio quod Reginae gratum id esse cognouerant. q) Placuit consilium, probatumque fuit, neque tamen ab Henrico perfectum. Nam haud multo post abiit Bothfeldam venatum, vbi febri correptus, eaque liberatus perrexit Erfordiam, & in Principum conuentu filium Ottонem declaravit successorem. r) Hinc digressus est Memeliam, castellum vocant Luitprandus, Albertus Stadensis, Chronographus Saxo, alii, nulla facta mentione monasterii, quod Otto II. demum condidit, vbi morbo denuo correptus anno DCCCCXXXVI. obiit, & deportatus Quedlinburgum ante aram Petri, quod ipse voluit, sepultus fuit. s) Dietericus *memorabilis*, inquit,

o) Gundlingius l. c. p. 308.

p) D. Kettner Antiqu. Quedlinb. p. 2. I. G. Eccard Geneal. Saxon. p. 29.
Gundling. l. c. p. 39. 40.

q) Auctior vitae Mathildis apud Leibnit. To. I. p. 196.

r) loco modo cit.

s) Leibn. To. I. p. 197. Conr. Vrspergensis p. 214. Gundl. l. c. p. 252. 259. l.
Perrever. Schamelius Histor. Beschr. des Klosters zu Memleben. p. 97. l.

quit, *vrbs Quedlinburgum, quae ossa tegit, monumentumque seruat in basilica S. Petri.* t) Mathildis, Regina vi-dua, cum perfecisset monasterii structuram, Otto M. a. DCCCCXXXVII. societatem sanctimonialium confir-mat, luculenta bonorum facta donatione, eamque soli Caesari subiectam declarat, & potestatem concedit e-ligendi Antistitam, quam Abbatiam regalem & in o-mni Saxonia praecipuam appellat Monachus Pegauiensis. u) Diemoth, Antistes Winethusensis soli-citata fuit a Mathilde, ut subditam sibi congregatio-nem Quedlinburgum transferri consentiret, quae pri-mum renuit, postea vero postulante Ottone M. con-sensit. x) Mathildis, Ottonis M. filia, dicitur materno amore complexa sanctae Pusinnae in Winathusen famu-lantes, et si non construxerit monasterium. y) Super-fuit igitur monasterium, & in eo religiosae virgines. Hinc videtur posse colligi, non ipsam Abbatissam Die-moth Quedlinburgum fuisse translatam, sed tantummodo ei subiectas sanctimoniales quasdam, propterea quod non possent illic diutius demorari, nisi sustentarentur adiuuamine regali. z) Anno DCCCCXLIII. Henricus, Ottonis M. frater, qui haud ita pridem veniam rebellio-nis obtinuerat, denuo cum Saxonibus quibusdam con-spirauit Quedlinburgi, dum festos Paschatis hic Otto celebrauit dies. Conuentum erat interimere Regem, & Henrico imponere diadema, cui mater Mathildis et iam fauebat, eumque throno potiri ante optarat, quam Ottonem destinarat parens Henricus, quod Ditmarus & auctor vitae Mathildis prodiderunt. a) Natus erat ille

A 3

Hen-

t) in Henrico Aucupe §. 13. p. 76.

u) Kettneri Antiqu. Quedl. n. 3. p. 5. Mon. Pegav. p. 288.

x) Vita Mathild. Leibn. Tom. I. p. 196. 197. Gundlingius l. c. p. 244. 242.

y) Leibn. Tom. II. p. 284.

z) Vita Mathild. l. c.

a) Leibn. Tom. I. p. 196. 199. 328.

Henricus patre iam Rege, eoque sibi potius regnum debri existimabat, quod ei Ottonis inimici suggererant, b)
vti olim Xerxes Persarum, & Ptolemaeus Philadelphus Aegypti Reges eo nomine obtinuere regnum. Princps conspiratorum Ericus, pater Hildiwaldi, Halberstadiensis Episcopi, quod Chronographus Saxo indicat, pugnans interiit, reliqui suppicio sunt affecti, & inter eos Luitharius, auus Ditmari, postea Merseburgensis Episcopi, Henricus anno post in gratiam receptus, & rogatu matris ducatu Bauariae donatus fuit. c) Sub idem tempus dissensio orta est Ottonem inter & matrem Mathildem, eo quod delata erat, quasi nimia benignitate in pauperes *regalis census opulentiam* consumpsisset; compulsa etiam fuit, vt dotales regiones, eoque Quedlinburgum vel maxime, relinquaret, & *sacro se velamine* consignaret. Sed cum minus prospere suas res ageret Otto M. eaque propter tristis esset admodum, suasu sacerdotum ac principum Regina Editha admonuit Ottoneum, vt in gratiam cum matre rediret, cui aurem quoq; praebuit. Misit itaque Episcopos, Duces, Comites & sapientissimos militum, qui cum honore reducerent matrem, quae cum aduentaret, Otto & Editha Regina vnaq; Henricus magno comitatu obuiam ei processerunt, matremque *sanctam Dei* introduxerunt in dotales regiones, haud dubie Quedlinburgum, & sicut dignum erat, primam constituerunt. d) *Sacro velamine se Mathildis iussa* consignauit, & *sancta Dei* vocatur. Num inde licet colligamus, quod ipsa praefuerit hic religioso coetui, (nam filia

b) Chronogr. Saxo ad a. 939.

c) Witichindus L. II. p. 649. Chronogr. Sax. ad a. 943. 968. Chron. Quedl. p. 279. annum 941. nominat; sed vna rebellio Henrici alteram mox exceptit, hinc Conradus Vrpergenensis p. 219. velut vnam recenset. Auentinus Annal. Boior. L. V. c. I. §. 4. 5. Leuckf. Antiq. Halb. p. 179. f.

d) Vita Mathildis p. 199. 200.

filia Mathildis incerta) cum praeter morem haud sit veterum, ut conditrices monasteriorum ipsae ea rexerint, quod exemplis probat Ill. I. G. Eccardus. e) Anno DCCCCXLII. Mathildis, Ottonis M. filia, Antistitiae hic obtinuisse dignitatem traditur. f) Sed tum nondum ea nata fuit, quod recte obseruauit Gundlingius. g) Nam Otto M. matrem Mathildis Adelheiden, secundum Chronicon Quedlinburgense, duxit a. DCCCCLI. quem annum Leibnitius atque Gundlingius definiunt, quo contendit in Italiam, secundum Albertum Stadensem vero an. DCCCCLII. Chronographus Saxo & Albericus annum DCCCCLIV. denominant. h) Hos ut mittimus, ita facile conciliatur Albertus Stadensis cum Chronico Quedlinburgensi, quia auctor vitae Mathildis scribit, quod Otto liberatam Adelheiden secum duxerit per civitates Latinorum, & cum miram eius perspexisset prudentiam vitaeque integritatem, sibi thori iunxerit soriam. i) Nata est Mathildis Antistitita a. DCCCCLV, ut habet Chronicon Quedlinburgense, k) quod facile confirmatur e vita Mathildis, vbi auctor scribit, quod *per longum tempus regni solium possederunt, cum regalis soboles pri-
mum procreata, puella Mathildis, quam secundum matris vo-
tum contubernio sanctimonialium Quedlinburgensium Otto coniunxerit.* l) Quod si vero undecimo aetatis anno praefecta fuit Abbatissa, quod Chronographus Saxo scribit, m) incidet hoc in annum DCCCCLXVI. Atque hunc diserte nominat peruetustum Chronicon Saxoniu-
cum

e) Albericus Chron. ad ann. 968. Gundlingius l. c. p. 47. Eccard. Histor. Geneal. Princ. Sax. p. 27.

f) Kettner Quedlinb. Kirchen-Histor. p. 23. 33.

g) loc. cit. p. 250.

k) Leibn. Tom. II. p. 280. Error est apud Albericum, quod Otto II. hoc anno sit natus.

l) Leibn. Tom. I. p. 201.

m) ad a. 999, Leibn. Tom. II. p. 284.

cum apud Ill. Gundlingium, ex quo refert, quod praesentibus patre Ottone M. matre Adelheide, auia Mathilde, fratre Ottone II. Rege, cunctisque Saxoniae optimatibus atque praefulibus fuerit inaugurata. n) Anno DCCCCCLXV. Otto M. hic Ecclesiae Osnabrugensi, & anno post Comiti Mamaconi luculentam fecit donationem. o) Anno DCCCCCLXIX. Mathildis Regina obiit hic Quedlinburgi d. XIV. Martii, & vt ipsa iussit, in templo Seruatii ad latus Henrici coniugis, non Halberstadii, quod Baronius scribit, sepulta fuit. p) Anno DCCCCLXXIII. Otto M. pascha hic celebrauit, vbi legati Graecorum, Beneuentanorum, Hungarorum, Bulgarorum, Danorum, Slauorum aliorumque conuenerunt, & per dies XVII. substitit. q) Vere Dietericus scribit: *solenniter consueuerunt celebrare festa in diuersis Germaniae, Italiae & Galliae locis Imperatores & Reges, idque praesentibus plerumque proceribus quibusdam imperii, Ducibus, comitibus, - - unde etiam inter consilia de rebus regni ab historicis non frustra recensentur.* r) Turbatum vero gaudium Imperatoris fuit obitu Hermanni Billungi, quem Ducem Saxonie constituerat, multumque adamabat. Nec multo post obiit Otto M. non tamen Quedlinburgi, quod Peccensteinius & Dietericus, s) neque Viennae, quod Egnatius scribit, t) sed Memeliae,

n) loc. cit. p. 250. Leuckf. antiqu. Halberst. p. 228.

o) Meib. Tom. I. p. 749. 750.

p) Albert. Stad. & Necrolog. Fulda. an. 969. nominant vita Mathild. To. I. Leibn. p. 206. 208. Chronogr. Sax. ad h. a. Mon. Bened. add. Chron. Montis Sereni p. 283. Leuckf. Antiq. Halb. p. 233.

q) Witichindus L. II. p. 662. Conr. Vrsperg. p. 214. Chronogr. Saxo & Alteriorius ad d. a. Annal. Hild. Leib. Tom. I. p. 719. Chron. Magd. Meib. T. II. p. 276. Leuckf. Antiq. Halb. p. 249.

r) In Ottone III. p. 37.

s) Theatr. Sax. P. III. p. 178. Dietericus emendauit memoriae lapsum, in Ottone M. p. 163. 167. conf. Breuiar. histor. p. 292.

t) de Rom. Principibus p. 613.

lebiae, vbi tertia feria ante Pentecosten subito correptus morbo exspirauit. Error itaque est, cum in Necrologio Fuldensi VII. Idus Decembr. mortuus scribitur. u) Anno DCCCCCLXXXIV. cum Otto II. Romae obiisset, & Otto III. puer Aquisgrani iam esset vñctus in Regem, Henricus Dux Bauariae, Henrici iam olim rebellis filius, hic pascha celebrauit, magnusque fuit Principum conuentus; ibi a quibusdam Saxoniae Principibus Rex fuit electus iste Henricus. Alii vero Principes, in quibus Ekkhardus I. Marchio Thuringiae, qui fidelis postea nomen meruit, Ottonis studebant partibus, & praeualebant. Quia vero Regem puerum quasi captiuum tenebat Henricus, Adelheidi aviae, Theophaniae matri, & Mathildi Antistitiae, ex Italia reuertentibus Principes Saxoniae, Thuringorum, Slaorumque occurrerunt, pro Ottone pugnaturi; qua refactum, vt suis reddiderit Principem Ottонem, quos vniuersos inter acclamantium vota hymnosque cleri ac populi recepit Quedlinburgum. x) Anno DCCCCLXXXV. paschalis solennitas ab Ottone III. concelebrata hic fuit, postquam Henricus veniam delicti precatus erat Francofurti & obtinuerat, vbi quatuor Duces solennia fecerunt officia Dapiferi, Camerarii, Pincernae ac Stabularii, quae tamen munera hereditaria tum non fuerunt, nec fidem faciunt, quod tum Augustissimum iam fuerit confirmatum Electorum collegium, quod inde nonnulli colligunt. y) Anno DCCCCCLXXXVI. Mathildis Antistita monasterium S. Mariae dicatum construxit, vt monumentum esset Germani fratris, Ottonis II. z) Anno DCCCCXCI. Theophania Augusta cum

B

filio

u) Chron. Sax. ad d. a Conradus Vrspurg. p. 224. Annal. Hild. Leibn. To. I. p. 719. To. III. p. 765. Boelerus Hist. sec. X. p. 281. Schamelius l. c. p. 117.

x) Ditmarus Lib. IV. p. 348. Annal. Hildesh. Leibn. T.I. p. 719. Chr. Sax. ad d. a. Albericus ad a. 983. Ditericus in Ottone III. p. 16.

y) Ditmarus p. 349 Dietericus in Ottone III. p. 37.

z) Chronogr. Saxo ad h. a. Chron. Quedl. ad h. a. p. 281,

filio Ottone III. paschalem hic celebrauit solennitatem,
 cui Thuscorum Marchio Hugo, Slauorum princeps &
 complures Europae Principes interfuerunt, & munera ob-
 tulerunt. a) Anno DCCCCXCV. Otto III. post expeditionem,
 quam in Slauorum terras suscepserat, excipitur Quedlin-
 burgi ab Antistita Mathilde, eiusque soror Adelheidis in
 magna Praefulum aliorumque praesentia sacro Virginum
 ordini adiungitur. b) Anno DCCCCXCVII. instauratum &
 amplificatum a Mathilde Antistita templum multis praes-
 entibus Praesulibus sancto dedicatur Seruatio. c) Anno
 DCCCCXCIX. d. vi. Febr. obiit hic Mathildis, Ottonis M. fi-
 lia, per annos XXXIII. summa Sacerdos, & ad caput aui sui
 Henrici in templo Seruatii sepulta fuit. Meibomius at-
 que Gundlingius annum DCCCCXCVII. emortualem fuisse
 scribunt; sed eum, quem diximus, Chronographus Saxo
 & Chronicus Quedlinburgense diserte definiunt. d) Ma-
 gna fuit Mathildis apud Principes auctoritate, & egregia
 elogia meruit, cui Otto III. in Italiam abiens paullo ante
 curam imperii in Germania commiserat. Eodem anno
 DCCCCXCIX. in Archangeli Michaelis festiuitate eius in lo-
 cum solennissime praesentibus cunctis regni primatibus
 inaugurata fuit Adelheidis, Ottonis II. filia, vt e serie An-
 tistarum expungenda sit Mathildis soror, quae tum iam
 nupta erat Comiti Ezoni. e) Non multo post eodem an-
 no, nempe XVI. Decembris, non millesimo, quem Meibo-
 mius nominat, mater Augusta Adelheidis decessit, non ta-
 men Quedlinburgi, sed in monasterio Salinensi. f) An-
 no M. Otto III. in monte cum forore Adelheide celebrauit
 coenam

a) Chronogr. Saxo, Chron. Quedl. h. a.

b) Chronogr. Saxo & Chron. Quedl. h. a. quorum eadem sunt verba.

c) Iidem ad d. a.

d) Ad d. a conf. Dietmarus Leibn. T. I. p. 356. Leuckf. Antiq. Halb. p. 307.

e) Leibn. T. II. p. 119. 285. Chron. Saxo d. a p. 210. Kettnerus Antiq. Quedl.
 p. 153. Leuckf. Antiqu. Halb. p. 207. f.

coenam Domini, Parasceuen, sabbatumque sanctum, & Dominicam noctem resurrectionis. Ipsis horis matutinis in curtem suam rediit, ut exspectationi senatus plebisque satisfaceret, totamque illam hebdomadem regiis muneribus transegit. g) Frequentior curia fuit, in qua causam suam agi voluit Praeful Magdeburgensis, ad quam tamen non venit. h) Anno MIII. Henricus II. pascha hic celebrat, & non multo post cum Augusta S. Seruatii diem festum, qui in XIII. diem Maii incidit, festiue obiit. i) Anno MXIIX. idem Imperator cum Episcopis & vtriusqve sexus Principibus diem Palmarum apud fororem Adelheiden Antistitiam solenniter celebrauit. k) Anno MXXI. Henricus III. & Augusta d. xxiv. Septembr. cum frequentissimo splendidissimoque Praefulum ac Principum comitatu interfunt basilicae dedicationi, quae solennissima fuit, & fuse describitur in Chronico Quedlinburgensi. l) Haec fere sunt Quedlinburgi gesta praecipua sub Augustis Saxonicae gentis. Omitto diplomata hic data, quae saltem praesentiam Imperatorum Augustaeque familiae loquuntur, atque ostendunt, quod locum hunc praesentia sua frequenter collustrarunt. Praefari haec volui, cum essent nonnulli disciplinae nostrae Alumni, iuuenes literarum vere studiosi, ciues nostrates, vnum si excipias, qui in arenam literariam prodire, & dicendi specimen edere, suamque una laetitiam, quam natalis Reuerendissimae Serenissimaeque Principis, MARIAE ELISABETAE, Heredis Noruagiae, Ducas Slesuico-Holsatiae, reliqua, Dominae nostrae Clementissimae, ciuibus affert, testificari vellent, dicturi

B 2

de

f) Leibn. To. I. p. 267. Chron. Saxo ad d. a. p. 211. Meib. T. I. p. 696.

g) Chron. Sax. & Chron. Quadl. h. a.

h) Chron. Sax. p. 212.

i) Chronogr. Sax. Chron. Quedl. h. a. Kettner Quedl. Kirchen Historie p. 107.

k) Chron. Sax. & Chron. Quedl. ad d. a.

l) Leibnit. Tom. II. p. 293. D. Kettnerus Antiquit. Quedlinb. p. 157.

de HENRICO AVCVPE, auctore huius Dioecesios, cui post longam seriem praeest Summa Sacerdos. Ita vero diuisa est opera: primum CHRISTOPHORVS HENRICVS Heidner, Quedlinburgensis, de *Electione Henrici Aucupis*; deinde CHRISTOPHORVS CONRADVS Eggert, Quedlinburgensis, de *Eius virtutibus*; tertio Io. ANDREAS ERNESTI, Nordhusa-Thuringus, qua in vrbe, quae pars dotalitii pariter fuit, Mathildis Regina fatetur, quod saepe iucunde viixerit, atque enixa sit Gerbergam & Henricum, m) de *Eius meritis in Germaniam*; & quarto CHRISTIANVS HENRICVS Zeiz, Quedlinburgensis, de *Eius meritis in Quedlinburgum*, omnes latino sermone soluto dicent. His succedit CAROLVS ANTONIVS Rönik, Quedlinburgensis, carmine Germanico Serenissimae Principi *diem natalem gratulaturus*. Dies huic penegyri destinata est XXI. Martii ab hora prima post meridiem. Cui vt Patroni atque Fautores interesse dignentur, suaque praesentia perhonorifica magis excitent ac confirmant nostros oratores, suamque laetitiam coniungant, omni, qua fieri decet, studio atque humanitate etiam atque etiam rogamus.


P. P. Quedlinburgi, die XX. Martii,
cīc Iō cc xxxii.

m) Leibn. Tom. I. p. 205.



Farbkarte #13

B.I.G.



A.K. 135,18.

X 2346529

Yd
4100

G E S T A
Q V E D L I N B V R G I
S V B
S A X O N I B V S A V G V S T I S
B R E V I T E R E D I S S E R E B A T ,
C V M A D
A C T V M O R A T O R I V M
D E
H E N R I C O A V C V P E
R E V E R E N D I S S I M A E S E R E N I S S I M A E Q V E P R I N -
C I P I S E T A B B A T I S S A E
M A R I A E E L I S A B E T A E
D I E N A T A L I ,
XXI. M A R T I I , M D C C X X X I I . A B H O R A P R I M A
P O S T M E R I D I E M
I N A V D I T O R I O M A I O R I
H A B E N D V M
O B S E R V A N T E R H V M A N I T E R Q V E
I N V I T A R E T
M. T O B I A S E C K H A R D V S ,
ILL. Q V E D L. R.

Q V E D L I N B V R G I ,
T Y P I S G O D O F R E D I H E N R I C I S C H W A N I I ,
A V L. T Y P O G R .
X

